gratuitam quidem, at copiosissimam mercedem
statuerit. Nos quod attinet, in precibus nris,
vestrum semper erimus memores. Deum Triunum
orantes vobis longissimae halcyonia largiatur, con-
servet ab oi malo, propulset quicquid detrimenti
Sathan vobis meditatur, vos regat, ornet, adaugeat,
et sic benedicat, ut egentibus porro subvenire pos-
sitis. Data Meisenheimio, sede in Bipontinatu
Serenissimae Palatinae, Illustrissimi Ducis et
principis nuper defuncti, Johannis Palatini
Viduae. 18 Julij 1636

Fridericus Goelerus
minister Ecclesiae
Meysenh: et vicinarum
Inspector.

Justus Wolffius pastor
Circellanus nomine Mi-
nistrorum Praefecturae
Bipontinae

Johannes Pantaleon
Candidus Inspector
Lichtenbergensis.

Georgius Lothar
Pastor Frankovillanus,
nomine auti Praefecturae
Neo Castellanae.

282. Excellentissime Dne.

Per mortem Doctoris Schickardi extincti luce pestifera
cum conjuge et quinque liberis vacat professio [illegible] juri-
dica in schola hac academica. Monui de ea re Cl.
virum Dnum Steinbergium I.U.D. ac simul viam
ei stravi apud Amplis. Magistratum nrum, qui meae
[illegible] deferens commendationi jam aliquamdiu ipsum
hic avide expectat occasione alterius negotii in has
provincias venturum. Quod ubi evenerit oro Excellen-
tiam ut optimum virum literis commendatiis suis ad
Amplis: Magistratum nrum instruat, quo tanta auctori-
tate adjutus eo gratior ipsi sit. Memor sum pristini
beneficii tui in ipsum adeoque me collati per commenda-
titias, quibus factum ut ad munus Consiliarii Dicasterii
aulici Heidelbergam vocaretur. Sed Patria, proh dolor
fatum rejecit eum Genevam. Vir est insignis eruditi-
onis

onis et variae jam inde à 17 annis divis Sacerdotio inau-
guratus, in cujus et Theoria et praxi versatissimus audit.
Audit Religionis amor, pietasque, et conversatio civilissi-
ma: nec ignotus est Amplissimo Viro Dno Camerario Filio
tuo. Ignosce Excell.ma Dne, fiduciae in benevolentia
tuam; quam etiam oro ut si forte sermo ab aliis
apud eam injiceretur de Doctore Steinbergio ante ipsius
adventum, eum in optimâ forma commendet. Ex charta-
tis adjunctis videbit E. T. quantoperè impietas au-
gescat in his provinciis (nisi ante eas videt) et inge-
miscet. Analysi Epigrammatis nolui ob certas Causas
nomen meum praefigere; quam Barlaeus excepit Scripto im-
pudentissimo et maledicentissimo. Vindicavit me vir quidam
Doctissimus Scripto Vorstio Redivivo, quod audio sub praelo
esse. Et sequetur V. D. tractatus meus De Deo Synagogus.
ita mihi invidissimo adversus monstra illa Sociniana
luctandum est, quae aeque libenter quidem carnis meae aufferre
ac alii. Sed Deo aliter videtur, qui me hactenus in horren-
da strage quam pestilentia hic speciatim inter propin-
quos vicinos meos edidit cum omnium admiratione salutem
ac vitam servavit. Ejus honori ac gloriae afferendae eo magis
me obligatum existimo, quicquid caro et sanguis reclamat.
Protectioni ipsius ac gratiae Excell.m tuam ex animo
commendo, quo multos in futurum quoque annos Reip.
Christianae prodesse queat. Excell.ma Dne Vale et
favere mihi perge. Scripsi Daventriae 1/1 Xbris. 1636.

Excell.ae T.
addictus mancipiumque totus.
Nicolaus Vedelius.

Excell.mo Viro Dno
Ludov: Camerario Serenissimae
Reginae Sueciae etc Legato ad
Illustriss. ordd: Generales foederati Belgii etc. Dno meo gratioso

Hag.